



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Bibliotheca Rhetorum**

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et  
Oratiunculæ

**Le Jay, Gabriel François**

**Ingolstadij, 1726**

Filius Parenti, ut emunctæ crumenæ jacturam resarciat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

## FILIUS PARENTI

*Ut emuncta Crumene jacturam resarciat.*

## Queribunda cum Deprecatione.

**R**em mihi funestissimam, tibi que ipsi, Pater amantissime, nisi mederi posses, luctuosissimam! Fures pessimi, quod erat in loculis cumque, nequiter surripuerunt. Diverterat, ut fit hoc tempore, celebres ad nundinas tuus Pamphilus; atque inter eundem spectandis histrionum nugis dum otiosius inhiat, nam quid ego imprudentiam ipse meam dissimulem? Ecce positum reconditiore in perâ numatum bene marsupium misero furtim subtrahitur. Equidem sensi prædonis manum, furem in clamavi, astantium turbam commovi: at seriùs. Jam aufugerat latro pessimus meis beatus numulis. Nullâ mēne tam amplâ in urbe restim esse, quæ genus istud hominum improbissimum conficiat? Ex illo, Pater, nulla fluunt pauperculo poëtæ carmina; Musas ferreas, æreum Apollinem experior. Est enim, si nescis, gens illa Numinum, quam colimus, difficilis, morosa, & rebus suis, suprâ quàm dici potest, attenta: ac nî qua dolosi numi spes refulserit, oleum è saxo potiùs, quam Pegaseum ab ipsis melos extuderis. Jam si velis, Pater, revocare spatium præteriti temporis, & memoriam pueritiæ recordari ultimam, nôsti, quàm ineptam & elinguem personam agat adolescens, cui nihil est in loculis. Ego certè malim ensē militi, medico succos ac pharmaca, causidico lites, mihi ipsi



libros ac calamos eripias, quàm numulos, valentissimum, si quod est aliud studiorum administriculum. In his rerum mearum angustiis tuum est, parentum optime, aliquo Pamphilum tuum recreare solatio. Tu quereffis & dolori facies modum aliquem, cùm voles. At si quid filio bonus indulseris, beneficio sic utar tuo, ut me ceteris in rebus, quod tu merito tuo postulas, & ego præstare debeo, habiturus sis ad omnes voluntates tuas paratissimum.

---

## RESPONSIO PATRIS.

### Joculatoria & Satyrica.

**E**Rgône verum est, quod scribis, Fili amarissime? Quid? subrepta tibi crumena est? nihil fingis? nihil dissimulas? Equidem ego vix adduci possum, illud ut credam, aut eam tibi facere injuriam velim; tibi inquam, puero, quem novi tam emunctæ naris. Saltem non vit furum ille pessimus, qui tali te affecit contumeliâ; facinus vindicâsti fortiter? Id enim suspicor, tametsi videris illud subtricare. Nam cur subsidium restis imploret, aut eâ velit uti ad conficiendum latronem improbum, cui lethifer ensis hæreat ad latus? Unum est saltem, quod in hac qualicumque calamitate tuâ gratuleris tibi. Nihil erit deinceps, quod metuas ab ejusmodi sycophantis. Poteris magno tuo commodo atque etiam otio curiosos oculos pascere, & pidas histrionum omnis generis nugas spectare a symbolus. Vide tu autem, ut, quam Musarum & Apollinis nomini labem inuris, eam ablergas